



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

2 Quot sint species illigitimorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Esopo genita iudicabatur legitima, dommodo aliud impedimentum non obstat. Hoc vero non videtur habere locum post statutum Concilij Trid. nisi fortasse ubi ipsum non fuerit sufficienter promulgatum, quia iam nunc matrimonium clandestinum inualidum est, & ideo filius ex eo genitus per se est illegitimus, & quoad legitimacionem per subsequens matrimonium ita de illo iudicandum est, sicut de quocumque genito per fornicationem & concubinatum.

10. Matrimonium autem factum coram Parochio, & testibus iuxta Tridentinum per se validum est, quantum est ex modo contrahendi, & ideo si bona fide ita fiat, sufficit ut proles inde concepta sit legitima, etiam si per ignorantiam contingat aliquod subesse impedimentum, quod illud reddat nullum. Quod censetur verum, etiam si cum aliquo peccato contractum sit, ut verbi gratia pratermissis publicis denuntiationibus, quas Concil. pratermitti precipit, sine iusta causa, & licentia, quia hoc non obstat illud matrimonium non clandestinum, sed in facie Ecclesie contractum est; & ideo non comprehenditur sub decisione textus in dict. ca. Cum in iudicio, ac proinde manet sub alia generali regula iuris, quod proles iudicetur legitima, quia nascitur ex matrimonio legitimo reputato. Dices in eo casu ignorantiam non reputari inuincibilem, quia non est adhibita diligentia ad tollendam illam, quae ex precepto Ecclesie adhibenda fuisse. Respondeo, hanc causam sufficere, ut in exteriori foro illa ignorantia suspecta habeatur; nihilominus tamen si in conscientia constet ignorantiam fuisse inuincibilem, & alio modo factam esse sufficientem diligentiam ad veritatem cognoscendam, in eodem foro proles iudicanda est legitima, quia re vera nullum impedimentum canonum illi obstat. Idemque dicendum existimo in foro exteriori, si de bona & probabili fide alia via in eo constiterit sufficienter, quia illud preceptum praevidendi admonitiones valde extrinsecum est, ut propter solam illius transgressionem existimandum sit, prolem mala aut minus probabili fide fuisse conceptam.

11. Vltimo dubitari potest in hoc puncto, an matrimonium reputatum legitimum bona fide, aequaliter operetur ad filii legitimacionem, ac matrimonium verum, ut v. g. an matrimonium bona fide contractum inter consanguineos reddat legitimam prolem ante tale matrimonium ab ipsis genitam, tunc eade ignorantia de gradu consanguinitatis, Aliqui enim Doctores affirmant talem prolem fieri legitimam, quia matrimonium reputatum perinde operatur ac verum. Ita tenet Antoninus in cap. Tota, n. 9. Qui filii sint legitimi. Contrarium vero tenet Socinus Consilio 31. & in idem magis videtur inclinare Couar. supra n. 17. in fine. Et videtur probabilius. Nam primo, si bona fides non fit in utroque parente, sed in altero tantum, iuxta dicta consequenter negandum est, prolem illam fieri legitimam per tale matrimonium reputatum, non quia ad hoc minus sit efficax, quam matrimonium verum, sed quia nec per matrimonium verum talis legitimatio fieret, eo quod praecedens conceptio in re fuerit incestuosa, & sola ignorantia vnius partis non poterit illam reddere naturalem seu simplicem, ut dictum est. At vero quando tempore copulae ex utraque parte interuenit bona fides quoad ignorantiam impedimenti, tunc certe dubitari potest, an proles, quae materialiter genita est ex incestu, habenda sit tanquam naturalis, ut legitimi possit per subsequens matrimonium reputatum: nam tunc filius genitus post tale matrimonium legitimus iudicatur: ergo etiam prius genitus cum eadem ignorantia, quia illud matrimonium retrahitur, ut supra dictum est. Verumtamen si haec ratio efficax esset, idem probaret, etiam si bona fides à principio tantum ex parte alterius parentis

interuenisset, ideoque verius censetur etiam in illo casu non legitimari prolem per tale matrimonium. Quod non solum procedit de matrimonio putato, sed etiam de vero: quia semper praecedens copula incestuosa manet licet ob ignorantiam non impetetur, id vero satis obstat, ut non possit subsequens matrimonium prolem facere legitimam. Atque haec sufficiunt praesenti instituto, quoad filios legitimos: reliqua in materia de Matrimonio dicentur.

SECTIO II.

Quot sint species filiorum illegitimorum.



Regula generalis est, omnes filios, qui non sunt legitimi aliquo ex praedictis modis, illegitimos quoad praesentem irregularitatis effectum appellari. Sunt autem varii gradus horum illegitimorum. Primo enim distinguuntur

in naturales, & spurios; naturales dicuntur qui orti sunt ex copula illicita eorum, qui inter se matrimonium contrahere poterant. Solentur hi subdividui in nothos, & simpliciter naturales priores sunt qui nascuntur ex soluto & soluta domi non retenta posterioribus vero, qui nascuntur ex concubina domi retenta: & requiritur etiam soler, ut illa unica sit iuxta Authenticam. Quibus modis naturales efficiantur sui §. 4. quae autem de fundus, collatione 7. Quae diuisio ad alios effectus iuris civilis potest fortasse conferre, & maxime ut filius reputetur talis patris: nam quando concubina domi retinetur, filius praesumitur eius, qui illam apud se retinet, etiam si ipse non declarat: quod secus est quando proles extra domum nascitur, nam oportet, ut pater filium recognoscat, vel sufficienter probetur. De qua re videri possunt Abbas in c. Per venerabilem. Qui filii sint legitimi, n. 31. & quae late scribit. Couar. d. 2. p. 4. c. 8. §. 4. & Antonius Gomez. in l. 9. Tauri, à principio. In praesenti vero haec distinctio necessaria non est, nam omnes isti sunt iure Canonico filii naturales quoad praesentem effectum irregularitatis, imo, & quoad omnes alios. Quod etiam iure Regio Hispaniae receptum esse ostendunt dicti autores, & alii iuris interpretes recentiores, qui etiam aiunt, consuetudine totius orbis ita esse receptum. Atque ita intelligendum est quod dixit Iudorus lib. 9. Originum, cap. 5. Naturales filii dicuntur ingenuarum concubinarum filii, quos sola natura genuit, non honestas coniugii, & habetur 2. q. 2. c. ult. ubi ingenuam appellat, non quia necesse sit eam esse nobilem, aut alterius similis conditionis, satis est enim quod sit soluta, & ad matrimonium contrahendum cum tali viro non habens impedimentum: ingenuitas vero matris potius requiritur ut filius sit liber; & non servitus, quam ut sit naturalis, ut sumitur ex eodem, & ex c. Innotuit, iunct. Gloss. verb. Ingenua, de Election. Turrecremata vero d. cap. vltim. significat necessarium esse, ut non sit meretrix: sed neque hoc necessarium est ut filius sit naturalis, dummodo alia conditio, seu aptitudo ad matrimonium non desit, ut praeter dicta optime colligitur ex c. Innotuit, iunct. Gloss. ver. Coniugata, de Electione.

Secundo: Filii spurii vniuersaliter dicuntur omnes alii illegitimi, qui naturales non sunt, dicunturque omnes hi nati ex damnabili coitu: nam simplex fornicatio, seu concubinatus licet in foro animae damnabilis etiam sit, tamen, si non habeat grauiorem deformitatem, humano iure permittitur, seu toleratur: quando vero accrescit malitia adulterij, vel alia similis, dicitur damnabilis copula, quia iura etiam humana illam damnant. In ea vero sunt gradus, nam aliquando licet damnetur talis copula, non tamen specialiter in iure puniatur, ut v. g. adulterium coniugati cum soluta; aliquando vero etiam puniatur, ut de conuerso adulterium coniugata cum quo-

cunque alio. Quae differentia ad nostram intentionem parum refert, licet natus esse aliquid conducere ad facilitatem, vel difficultatem dispensationis. Et ob eandem causam tres praecipuae species horum illegitimos notanda sunt. Quidam enim sunt filii adulterini, id est ex adulterio nati, qui possunt esse in triplici differentia, scilicet ex coniugato & soluto; & ex soluto & coniugato; & ex coniugato & coniugato. Alii sunt filii incestuosi, nati ex his, qui habent impedimentum affinitatis, vel consanguinitatis sufficiens ad irritandum matrimonium inter ipsos, si tempore, quo inter se conuenerunt, fuisset contractum. Vnde iuxta varietatem huius impedimenti potest esse similis varietas in his illegitimis, quorum impedimentum eo maius erit, quo maior fuerit inter parentes sanguinis propinquitas. Alii denique sunt filii, qui dici possunt sacrilegi, quia ex illis parentibus nati sunt, qui ob impedimentum voti solennis castitatis inter se contrahere non poterant, siue illud fuerit in utroque, siue in altero tantum, & siue illud fuerit votum annexum ordini sacro, siue professioni religionis.

Est autem in his votis obseruandum conuenire primo in hoc quod si matrimonium post illa sequatur, nullum est, & ideo proles est sacrilega. Secundo in hoc, quod si post natam prolem ex vero matrimonio votum sequatur, quod sit validum, quia vel alter coniugum mortuus est, vel quia ex illius licentia legitima factum est, nullum impedimentum affert legitima proli prius genitae, argumeto c. Adhuc, de Filiis Presbyterorum. Differunt tamen, quia si antecedit matrimonium validum siue consummatum, siue ratum tantum, & sequitur susceptio ordinis sacri, matrimonium non dissoluitur, ut per se notum est, imo neque vxor amittit ius suum, si in talem ordinationem mariti non consensit eo modo, quo exigit in c. Coniugatus, de Conuers. coniug. Quapropter, si vxor petat ius suum, cogetur maritus, non obstante ordinatione, reddere debitum, quamuis illud petere non possit propter votum castitatis, ut dicitur in c. 2. n. Extravag. Antiqua, de voto Gloss. & Doctores in c. vnic. de voto in 6. & tract. Conuersionis, dist. in 4. 2. p. c. 7. §. 4. n. 9. Atque hinc fit, ut filius natus ex tali matrimonio legitimus sit, non obstante voto, & ordinatione patris: quia talis copula non est sacrilega, & votum tunc est quasi suspensum quoad impediendam redditionem debiti, & delictum parentis solum fuit in temeraria susceptione ordinis non in filii precreatione. Et haec est communis sententia, ut patet ex Conuersione supra & Maiol. lib. 1. c. 9. n. 8. In voto autem solenni religionis non habet locum similis casus: aut enim matrimonium, quod antecessit, ratum fuit, & consummatum, aut ratum tantum, in priori casu professio subsequens nulla tenet, proinde filii posterius generati legitimi sunt: in posteriori autem casu matrimonium dissoluitur post subsequenter professionem, quae omnino valida fuit, ideoque filii postea geniti ex priori sponsa ita sunt illegitimi, ac si nullum matrimonium antecessisset.

Tertio dicendum est aliquos esse filios canonicè illegitimos, qui naturaliter legitime procreati sunt. Suppono inter dum viuentem viroque coniuge posse verumque vel alterum eorum solenne votum continentiae valide emitte, ita ut uterque maneat prius iure petendi, & sine obligatione reddendi debiti c. Si vir, 37. q. 2. c. 1. & c. Coniugatus, de conuers. coniug. de qua re quomodo fieri debeat, & an sit necessaria auctoritas Episcopi ad valorem actus vel ut ordinate fiat, in opere de Religione dicimus. Suppono secundo, in eo casu vinculum matrimonii prius contracti, & consummati non dissolui, quia prorsus indissolubile est quoad vinculum, iuxta illud, Quos Deus coniunxit homo non separet. Tertio suppono, si contingat ex coniugibus in tali sacro iam

constitutus filium generari, illum dici posse generaliter legitimum, quia reuera natus est ex legitimo matrimonio. Imo addit Abb. statim citandum, etiam esse legitimum ciuiler, id est, quoad successionem hereditatis, quod fortasse est verum: quia non constat per iura ciuilia excludi. Sed de hoc alibi. Hic ergo positis de hoc dicimus, non obstante naturaliorigine esse canonicè legitimum. Non caret tamen res controuersa; nam quod alias copula sit sacrilega ipsis parentibus, non obstat quando sacrilegium non est contra substantiam vinculi matrimonii: quod patet, tum in eo casu, in quo uterque parens habet simplex votum castitatis: tunc enim sacrilegè conueniunt, & nihilominus proles legitima est: tum etiam in eo casu, in quo clericus in sacris contra voluntatem viuientis uxoris ordinatur, & cum illa cohabitare compellitur, & generat, non tantum reddendo sed petendo debitum, in quo etiam sacrilegus est, & non obest filio quominus legitimus sit: idem ergo erit in praesenti casu. Et confirmatur c. Literas, de Filiis Presbyterorum, ubi consultus Pontifex de quodam sic progenito, respondet, Si aliter dignus inuentus fuerit pernitentius ipsum ordinari in clericum, & ad Ecclesiasticum beneficium promoueri: ergo supponit illud non fuisse impedimentum. Propter quem texum hanc partem tenuit Raymundus in Summa, in cuius sententiam inclinat Palud. 4. dist. in c. 41. q. 1. Palud. num. 9.

Nihilominus assertio posita, & vera, & communis est. Quam tenuit Gloss. 1. in c. Ministri, dist. & Innocentius in sum. tit. de Filiis presbyterorum. Quis posuit, c. 1. vers. Quid si sacerdos generat filium ex vxore legitima, Innocent. Ioan. And. & alii, quos refert Panor. in c. 1. n. 7. Probatum autem praecipue ex dict. c. Literas, ubi verba illa permittimus ordinari, relaxationem significant, unde supponunt impedimentum, vbi Gloss. Innoc. Adrian. Hostiensis. Panor. & communis intelligunt, Gloss. etiam in c. de filiis Presbyterorum, in 6. Et videtur colligi ex conditione, quae adiungitur. Si alias dignus inuentus fuerit: Sed obici potest, quia verba commode possunt exponi ut non dispensationem, sed declarationem continent, & conditio adiecta optime, etiam sic quadra ut sensus sit: si aliud non obstat, hoc non est impedimentum: similis enim forma verborum in eodem sensu habetur in c. Tua nos, & vltim. de homicidio. Nihilominus certum est, Pontificem in illo c. Literas, dispensationem concessisse & talem, qualem solus Summus Pontifex concedere poterat. Hoc euidentius colligitur ex integro textu, quem refert Anton. August. in Collectione 1. Decretalium c. 5. eiusdem tit. ubi interponuntur haec verba. Verum quia in filio patris incontinentia propellenda dignoscitur, & propter eandem presbyterorum filii a sacris ordinibus iuxta sacrorum canonicarum remouentur, non expedit ut super huiusmodi supplicantium precibus annuamus, quod videamus alia impetrandi similia spem aliquam facilius impetrari: sed ut sua postulationis effectum, cum ad Sedem Apostolicam similiter accesserit, ex toto corde desiderari se non deleat, presentis scripto vobis significamus, quod si aliter &c. Ex quibus verbis euidenter constat, primo fuisse necesse necessariam dispensationem in illo casu, imo etiam non facile concedendam. Secundo constat, Pontificem aliquid ibi concedere, quod ipse solus concedere poterat, quodque verebantur concedere, ne alius spem daret similia petendi. Quare vel dicendum est, Pontificem dispensasse etiam quoad ordines sacros, vel certe tunc non potuisse Episcopum, sed Pontificem tantum dispensare quoad minores ordines, & in his Pontificem dispensasse, quod indicant illa verba, Vt ex toto defraudari se non debeat.

Denique colligitur ex dictis verbis, ad hanc illegitimitatem solum considerari a iure, quod huiusmodi sunt filii presbyterorum propter patrem in-

Tres eorum
Species.

Glossa
Conuersionis.

Maiolus

Tertio
gradus
legitimi
illegitimi

continentiam ab Ecclesia specialiter damnatam & reprobatam procreati. Vnde fit, non sufficere vinculum matrimonii, si eius executio fuerit dicto modo ablata, & interdicta. Dices, hunc textum recte probare quoad filios presb. non vero quoad inferiores in sacris constitutos, nec quoad religiosos, quia de his non exprimitur, nec valet argumentum à simili. Respondetur de his omnibus idem esse iudicium ex omnium Doctorum sententia, & notat specialiter Additio ad Abbatem in dict. c. Literas, citans Rom. singul. 522. & 523. Neq. illud est argumentum à simili, sed est ex formalitate talis prohibitionis, quæ non est ordo sacerdotis, sed solenne votum continentie, ratione cuius in foro Ecclesiæ propria vxor non reputatur vxor quoad debitum reddendum, vt notauit Gloss. in dict. ca. Ministris ponderans verbum textus. Inuadere cubile, tanquam alienum. Et hæc est clara differentia inter votum solenne, & simplex, & inter hanc copulam & aliam illicitam cum propria vxore ex quacumq. alia prohibitione, quæ sufficiens non est, vt propterea filij censentur illegitimi. Et ita solute manent rationes dubitandi positæ in contrarium.

SECTIO III.

Vtrum omnes filii illegitimi sint irregulares.



Constitutis in præcedenti sectione facile definitur quo titulo hæc irregularitas contrahatur, & ad quas personas deriuetur. Fundamentum enim illius est ortus ex coitu illegitimo: huius non autem censetur esse omnis ille, qui non est ex legitimo matrimonio vero aut probabiliter existimato, & cuius executio ablata non sit in eo in superioribus declarato. Vnde fit vt hæc irregularitas deriuetur ad omnes filios illegitimos, in quocumq. gradu, vel specie sine. Quod satis expresse habetur in capit. 1. de Filiis Presb. extra, & in 6. & in c. Consuluit, iuxta Gloss. de Seruis non ordinat. & cap. Per venerabilem, Quilibet sine legitimi, & ex multis cap. dist. 56. à princ. & est communis Doctorum sententia eisdem locis, & Summistarum verb. Irregularitas. Nauarr. ca. 27. n. 201. Bernard. & Salzedo in Pract. cap. 14. Maioli, supra. Ratio autem ob quam Ecclesia hæc irregularitatem induxit, multiplex considerari potest, scilicet, in detestationem paterni sceleris, ob infamiam quandam & turpitudinem quam inde contrahit filius, & quia timeri potest, ne filius sit paterni criminis imitator. Et ideo non est inconueniens, quod hoc impedimentum redundet, in filios sine culpa eorum, quia hæc irregularitas non est poena respectu talium filiorum, sed impedimentum canonicum impositum propter quandam indecentiam quæ sine culpa ex vitio naturæ contrahi potuit.

Sed obijciat, saltem debuisse irregularitatem hæc non solum filiis, sed etiam parentibus imponi: quia cum in patre fuerit culpa, in eo etiam est maior turpitudine & indecentia: ergo plus debet ei propria culpa obesse, quam culpa aliena filio. Respondeo in primis hic non agi de poenâ culpæ, sed de indecentia, & de præcauenda simili turpitudine in futurum: in parente autem non consideratur indecentia vlla præter delictum de cuius punitione quatenus ad delinquentis irregularitatem, vel suspensionem pertinere potest supra dictum est. Deinde dicitur, esse dispensationem rationem, quia pater non accipit esse per turpem generationem, sed dat filio, actio vero non est in agente, sed in passio: & ideo defectus, seu indecentia, quæ inde nascitur, non manet in parente, sed redundat in filium, excepta culpa, quæ est quasi immanens in ipso operante.

Addit vero Maiolus lib. 1. ca. 12. aliquos esse casus, in quibus fit irregularis, eo quod habeat filios etiam

legitimos. Vnus est de clerico, qui ex matrimonio legitimos filios habuit ante ordinationem suam: nam ille censetur irregularis, non quidem ad ordines sacros, sed ad Episcopatum vel prælationem Ecclesiasticam sumpro argumento, ex cap. Cathinensis, d. 61. vbi Pontifex, vacante quodam Episcopatu, præcipit eligi, qui nec vxorem habeat, nec filios. Et idem habetur in cap. De Syracusana, 28. d. 28 vbi dicit Pontifex, hoc fuisse prohibitum principali constitutione, quia quando Episcopus habet filios, Ecclesiastica solet periclitari substantia. Habetur autem illa constitutio in Auth. Quomodo oportet Episcopos, & c. ca. 5. colla. 1. vbi in Glossa refertur alia similis constitutio græca eiusdem Iustiniani Imperatoris, iniqua pro ratione redditur. Ne contemptis pauperibus Christi, propriis filijs incubat, & in eos facultate Ecclesiæ transferat. Sed he leges ciuiles per se non possunt inducere irregularitatem, vt constat & generaliter notat Abb. in c. Ecclesiastica Maria, de Constitutionib. Non videntur autem dicti canones approbare hoc simpliciter tanquam impedimentum canonicum, sed solum accipere vt egregium consilium, & maxime approbare causam, quæ Imperatorem mouit ad illam legem constituendam. Et ideo Gloss. circa prius capitulum dixit, Sinulla sit præsumptio, aut periculum quod dilapidentur bona Ecclesiæ, vel detur cautio, & fiat inuentarium, posse quempiam eligi in Episcopum, licet habeat filios. Quod videtur expresse ita dispositum in c. Sini manifeste, 12. q. 1. Et in c. Episcopus, qui filios, 12. q. 2. Vnde inter Iurisperitos controuersum est, an clericus habens filios, possit sine dispensatione ascendere ad Episcopatum. De qua re alibi latius dicitur, interim videri potest Abbas in c. de Testamentis, n. 2. vbi Additio plura allegat. Et mihi quidem verisimile est, cum Pontifex daturus sit Episcopatum vel confirmaturus electionem, necessarium esse illi aperire talem personæ conditionem, vel legitima sit collatio vel confirmatio, & non subreptitia, quia valde moueri potest, & difficilem reddere Pontificis voluntatem. Et hoc saltem probat dict. c. De Syracusana, vbi Glossa distinguendum putauit, quoad hoc inter legitimos & illegitimos: sed immemoro, vt recte Panormitanus notauit, cum textus nihil distinguat, & quodammodo maior ratio sit in filiis legitimis, quia magis solent eos parentes diligere, magisque eis thesaurizare procurant.

Alius modus huius irregularitatis censetur esse in causa supra tractata, si clericus vxoratus sine consensu vxoris sacrum ordinem suscipiat: manet enim inhabilis, & irregularis tam ad vsum ordinis suscepti, quam ad ascensum ad superiores. Verumtamen hæc irregularitas non prouenit proprie ex filiis, sed ex ipsa coniunctione ad vxorem, etiamsi alii non procreentur. Neque iam videtur noua irregularitas contracta per talem susceptionem ordinis sacri, sed ex vi ipsius vinculi matrimonii, quia ratione illius, secundum præsentem Ecclesiæ statum, sit quis inhabilis ad ascendendum ad superiores ordines, & vsum eorum, & ad Ecclesiastica beneficia, viuente scilicet vxore, & ipsa non consentiente, & castitatem vouente, cap. 1. 2. & 3. de Clericis coniugatis. Dico autem secundum præsentem statum, quia olim permittitur clericis in sacris habere vxores, licet non permitteretur vsum earum, vt constat ex Concilio Libertino can. 33. Toler. 1. can. 1. & Leone Papa, Epist. 84. cap. 4. & Epist. 62. cap. 3. & ex Gregorio lib. 3. Epist. 34. & habetur in cap. Mulierum, 27. quæstion. 2. de qua relatus Deo dante in opere derelictione.